



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quonam pacto à Iudaeis oriundus Sabbatius, Nouatianoru[m] presbyter
opinionis suae socios deseruerit. Cap. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

*De Iudæo qui per Atticum Episcopum in diuino baptis-
mate neruorum resolutione liberatus erat.*

CAP. IIII.

ATque vt hæc vnâ res, quam temporibus Attici acci-
disse modò commemorauî, permultum profuit eccle-
siæ, sic eadem tempora & miraculis & donis sanatio-
num nobilitata fuerunt. Nam Iudæus, qui à multis iam an-
nis paralyti conflictatus, in lecto decubuerat, cum omnia cu-
rationum & medendi genera, omnes que Iudaicas preces ac
vota expertus, nihil planè inueniret remedij, tandem ad
Baptismum Christianorum confugit, pro certo persuasus,
huius tanquam veri medici adiumento se ad integram va-
letudinem restitutum fore. Quæ res erat quàm primum
Attico significata. Ille igitur Iudæum fidei articulis insti-
tuens, & spem in Christum ei annuncians, iubet ad bap-
tisterium in lecto apportari. Iudæus paralyti oppressus, si-
mul ac baptismum sincera fide receperat, & ex lauacro ba-
ptismatis erat elatus, confestim morbo liberatus est, & ad
sanitatem restitutus. Hæc curatio diuina Christi virtu-
te, nostris temporibus, hominibus declarata fuit. Qua
quidem re ex gentilibus complures ad credendum indu-
cti, baptismum receperunt. Iudæi autem, quamuis signa
& miracula quærent, signis tamen ad credendum induci
non poterant.

*Quonam pacto à Iudæis oriundus Sabbatius, Nova-
tianorū presbyter opinionis suæ socios deseruerit.*

CAP. V.

Quanquam eiusmodi beneficia erant à Christo in ho-
mines collata, plerique tamen illa pro nihilo ducen-
tes, suæ ipsorū improbitati fedulo deseruerūt. Neq;
enim Iudæi solum miraculis & prodigijs editis minus obse-
cundarunt, sed alii etiam, qui eorū solum ritus imitari gau-
dent, idem cum illis de religione sentire conuincuntur. Sab-
batius enim de quo paulò ante mentionè feci, cū nō posset
in animū inducere, vti presbyterij gradu cōtētus acquiesce-
ret, sed studio semper arderet ad Episcopatus honorè ascen-
dendi, eisdem temporibus, occasione ex festi Paschatis Iu-
daici

LXX. 22.

daici obseruatione arrepta, ab ecclesia Nouatianorum se separauit. Itaq; cum in loco quodam ciuitatis, qui collis aridus dicitur, vbi nunc est forum Arcadij, separatim ab Episcopo suo Sifinio cōuentus forte ageret, facinus facere aggressus est omni suppliciorum genere vindicandum. Nam ipso die, quo sacra Synaxis celebrabatur, cum particulam quandam Euangelii legeret, in qua insunt ista verba. Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha addebat de suo, quæ neque vsquam scripta, neque vnquam audita sunt, Ista scilicet: execrabilis quisque, qui absque Azymis Pascha celebrat. Quæ cum essent audita per multorum animos peruaserunt: vsque adeo, vt qui ex laicis Nouatianis essent simplices, illi quasi à fide abrepti ad eum eiusque doctrinam se contulerint. Verùm calidum hoc commentum minimè cessit illi ex sententia, quandoquidem adulterandi verbi Dei audacia exitum habuit planè infelicem. Nam haud ita multo post, cum festum Paschatis secundum anteceptam animo de eius obseruatione opinionem celebraret, multiq; ad eum demore confluerent, & consuetas vigilias per totam noctem agerent, tumultus furiosus & planè dæmoniacus illos occupauit. Videbantur enim sibi videre Sifinium suum ipsorum Episcopum cum ingenti hominum multitudine in ipsos imperum facere. Vnde cum maxima turba fieret, illi, vt verisimile erat, noctu præsertim, atque adeo in Angustum locum conclusi, se mutuo obtriuerunt. in quo tumultu ex illis amplius septuaginta homines perire. Quo facto complures defecerunt à Sabbatio: nonnulli autem stultæ illi & ineptæ opinioni de Paschatis obseruatione animis anteceptæ mordicus adhæserunt. Quem admodum autem Sabbatius iureiurando, quo se iam pridem astrinxerat, violato ad Episcopatum ascenderit, dicemus paulo post.

De ijs qui tunc temporis opinionis Arianae Antesignani fuerunt. CAP. VI.

DOrotheus sectæ Arianae episcopus, quem Antiochia Constantinopolim ab Arianis translatus supra memorauimus, cum ad centum decem & nouem annos vitam